

vehementius et miramur quo videmus. Cont[...] / gratia satis in pace et nos in territorio nostro nulli permittimus vio/lentiam irrogari. Quare vos affectuose requirimus et rogamus quatenus / prefato civi nostro de predicto porco et aliis rebus ablatis sic ce/leriter et plene satisfacere procuretis sicque punire violatores / huiusmodi studeatis, quod id gratum habere possimus nec nobis causa super/sit eidem, civi nostro de alio remedio solito et provido provi/dere, quod ei non intendimus denegare. Quicquid autem inde / feceritis etc.

72.

(Eine Gemeinde) ersucht um Rückgabe eines Schweines und anderer Gegenstände, die einem ihrer Bürger von Einwohnern des Castrum Podii auf offener Straße geraubt worden sind.

Hs. fol. 13^r.

Exposuit nobis carus et amicus civis noster, quod, eo^{a)} per territorium Castri Podii⁴⁹⁾ iurisdictionis vestre transitum faciente, / per stratam videlicet publicam per quam omnibus ab antiquo tutus est additus / et regressus, quidam homines armati, de prefato Castro Podii exe/untes et in strata publica occurrentes eidem, porcos quos secum / ducebat ei disrobatorum more per violentiam abstulerunt, / ipsosque teneverunt quousque idem civis noster unum ex ipsis porcis aliasque res suas reliquit eisdem. Quod quidem ingratum / non immerito ferimus et molestum, eo potius quo et ceteris, nedum / vicinis, tutus est additus hoc tempore itinerum publicorum et hominibus / iurisdictionis vestre per districtum nostrum transeuntibus iniuria / non infertur. Quocirca circumspectionem et amicitiam vestram affec/tuose requirimus et rogamus quatenus, pena debita prefatis violatoribus / irrogata, eidem civi nostro nostrarum precum interventu, si placet, / sic celeriter de porco et aliis ablatis satisfieri faciatis, quod / id gratum habere possimus et vobis ex hoc honor accrescat / idemque civis noster causam non habeat aliud debitum sibi per nos reme/dium implorare. Quicquid autem super hiis duxeritis faciendum, / petimus a vobis nobis per latorem presentium responderi. /

a) *folgt* quod *Hs.*

⁴⁹⁾ *Nicht identifiziert.*